



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio VI. De voce Incarnatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

actus autem pro materiali. Item Perspectiva subalternatur Mathematicis, quia contemplatur lineam ut est visualis: Mathematicæ autem in parte subalternatur Physicæ, quia contemplantur quantitatem ut per lineas ac superficies potest efficere diuersas figuras. At obiectum formale Physicæ non est quantitas: hæc enim est obiectum materiale: formale autem obiectum est corpus prædicamenti substantiæ, quod frequenter appellatur *corpus mobile*: ergo facultas de Deo Homine subalternatur Theologiæ, quamuis contempletur additionem in obiecto materiali. Ratio à priori, quia hæc subalternatio oritur ex duplici illo capite quod proposui §. 26. illa autem imperfectio vtriusque facultatis reperitur tam circa obiecta materialia quam formalia.

§. 29. Censeo hanc facultatem non subalternari Theologiæ, sed esse veram illius partem. quia hæc pars sub eadem ratione formali Theologiæ contemplatur suum obiectum, & non per aliam: nec ad illud eget aliquo principio formali distincto ab obiecto adæquato Theologiæ; ex quo deducit omnes conclusiones pro obiecto materiali: sed facultas non dependens ab alio obiecto formali non est subalternata, sed pars illius scientiæ: ergo. Minor est per se nota, quia scientias naturales discriminamus per obiecta; imò & supernaturales habitus. Maior patet, quia ex reuelatione Dei & principio naturali deducit hæc facultas omnes suas conclusiones, non secus ac cæteræ partes Theologiæ.

§. 30. Ad argumentum ex §. 25. Nego hanc facultatem contemplari aliquod prædicatum additum obiecto Theologiæ; sed contemplari accidentia logica obiecti Theologiæ sub eadem ratione formali adæquata Theologiæ. quia Deus Homo tam pertinet ad obiectum Theologiæ, quam Deus creans & Deus puniens. Quamuis creans & puniens addit accidens physi-

cum extrinsecum Deo. Nec verò quæcumque additio prædicati accidentalis satis est ad subalternationem scientiarum: sed requiritur, ut illa additio non possit adæquatè cognosci per obiectum formale scientiæ subalternæ: nam omnes facultates contemplantur in suis obiectis multas additiones accidentarias. quia Metaphysicus contemplatur in intelligentias ut obiectum formale, Physicus corpus prædicamenti substantiæ, fidelis & Theologus Deum: & tamen Metaphysicus contemplatur in intelligentijs motum actiuum cælorum, & in angelis multa accidentia; multa item Physicus in corpore: fidelis autem ac Theologus non pauca extrinseca Deo. Imò hæc facultas de Deo Homine contemplatur illum cruci suffixum, verba facientem, & alia id genus accidentia: nec tamen facultas de passionibus Christi est subalternata huic facultati de Christo: sed est illius pars. Ratio à priori est, quia omnia illa accidentia cognoscuntur adæquatè per idem obiectum formale: nec differunt nisi per additionem obiecti materialis cogniti per idem formale. quod non attinet ad diuersas scientias. Ut igitur scientia sit subalternata, opus est ut prædicatum accidentale, quod addit, non possit cognosci per solum obiectum formale scientiæ subalternæ, sed ex additione alterius obiecti formalis partialis. ex qua additione oritur diuersitas scientiarum.

§. 31. Hic poterat inquiri vtrum hæc facultas de Deo Homine subalternetur scientijs naturalibus à quibus mutuatur aliquod principium: item quia Metaphysicus agit de Deo secundum se: hæc autem facultas de Deo ut reuelante? Hæc autem quaestio non est propria huius instituti, sed prooemij in totam Theologiam. Nonnulla dixi in prooem. Metaph. §. 206. 207. & 208. & de toto argumento ibidem egi tota sectione 8.

S E C T I O VI.

De voce Incarnatio.

§. 32. **D**elicatis hereticorum auribus absonat vox *Incarnatio*, quia noua, quia barbara. veriùs existimo, quia Catholica. est enim elegans, deriuata à carne, ut animatio ab anima, & à corpore corporatio, quibus vsus est M. Tullius

de Vniuersitate non semel. *Animationis diuina*, inquit, *maximè speciem faciebat*: item, *Et est vndique corporatus*. Ob quod S. Hilarius prol. in Psal. eam appellat corpora-tionem; Damascen. autem lib. 3. cap. 6. in-humanationem.

§. 33. In-

§.33. Incarnatio dupliciter potest accipi: primum pro actione qua Verbum factum est caro: vt calefactio pro actione faciente calidum: sic communis est toti Trinitati: actiones enim ad extra in genere causæ efficientis & finalis sunt indiuisæ. Neque significat actionem, qua Verbum vnitur alteri humanitatis parti quæ dicitur caro siue corpus, & distinguitur ab animo: sed significat actionem vnientem Verbum toti humanitati: caro enim in Scripturis accipitur sæpè pro toto homine. *Et videbit omnis caro salutare Dei. Omnis caro fœnum. Non fiet salua omnis caro.* & quod Ioann. dixit, *Verbum caro factum est;* dixit Athanas. in Symbolo, *Et homo factus est.* Vt igitur Philosophi totum corpus prædicamentum substantiæ siue compositum, corpus appellant; ita Scriptura ac Patres carnem nuncupant totum hominem:

est igitur idem Incarnatio ac humanatio. §.34. Secundo, significat formalem vnionem Verbi cum humanitate; quæ vnio est terminus productus quo per Incarnationem vt est actio. quæ vnio et si in genere causæ efficientis & finalis, ad totam Trinitatem spectet; tamen speciali ratione attinet ad solum Verbum; quia solum illud factum est caro: illa autem ratio est in genere termini intrinseci & immediati. In quo genere non pertinet ad totam Trinitatem; productio autem huius vnionis attinet ad Verbum vt ad terminum remotum. In hoc sensu Sancti disputant de Incarnatione, non quia disputent de sola vnione, sed de toto composito, nempe de Deo homine: ob quod Athanas. in Symbolo dixit fideliter esse credendam Incarnationem, nempe Christum esse Deum & hominem.

S E C T I O VII.

Vtilitas huius operis.

§.35. **C**ognitio huius mysterij munit viam ad vitam æternam, ipso Christo attestante, hanc esse vitam æternam, vt cognoscatur Deus, & quem ille misit, Iesus Christus. Quo autem pacto sit necessaria ad salutem incarnatio, dixi volum. 2. disp. 44. sect. 1.

§.36. Quam autem apprime sit utilis meditatio vitæ Christi, explicuit S. Bonaventura tomo 2. opusc. cap. 1. his verbis: *Si ergo anima carnem diligis, nullam carnem nisi carnem Christi ames: hæc enim pro tua & totius humani generis salute est super aram crucis oblata: cuius passionem in corde rumines quotidie. huius enim passionis Christi meditatio continua mentem eleuabit: quid agendum, quid meditandum, quidq. sciendum & sentiendum sit indicabit, te demum ad ardua inflammabit, te viuificabit, & contemni & affligi faciet; affectus tuos, tam in cogitatione, quam in locutione, ac etiam operatione regulabit. O passio desiderabilis! ô mors admirabilis! Quid mirabilius, quam quod mors viuificet, vulnera sanent, sanguis album faciat, & mundet intima, nimius dolor nimium dulcorem inducat, apertio lateris cor cordi coniungat? Sed adhuc mirari non cesses, quia sol obscuratus plus solito illuminat, ignis extinctus magis inflammat, passio ignominiosa glorificat, &c.*

§.37. S. August. in Manuali c. 31. *In omnibus non inueni tam efficax remedium, quam vulnera Christi.* S. Bern. serm. 62. in Cantic. *Quid enim tam efficax ad curanda conscientia vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio?* Hæc de re plenæ sunt sacræ paginæ, pleni Sanctorum libri. inter quos S. Bonavent. mira animi pietate rem tractat pluribus in locis, maximè opusculo citato de Stimulo amoris, & opusculo inscripto *Meditationes vitæ Christi.* Cumque tantum inter cæteros Doctores excellat, fatetur oportere ea tractari à Doctore magis docto & magis experto.

§.38. Mihi vsurpo Anselmi verba lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 1. ita ordientis doctrinam de Incarnatione: *Licet in inquirendo valde videatur difficilis, in soluendo tamen omnibus est intelligibilis, & propter utilitatem, rationisq. pulchritudinem amabilis.* Et cap. 2. *Materia non solum pretiosa, sed sicut est de speciosa forma præ filiis hominû, sic etiam est de speciosa ratione super intellectus hominû. unde timo, ne, quemadmodum ego soleo indignari prauis pictoribus cum ipsum Dominum nostrum in formi figura pingi video; ita mihi contingat, si tam decoram materiam incompto & contemptibili calamo exarare præsumo.*